

28. Post hujus regni terminum
Sollemne fit emporium,
Dum data bovis tunica
Argenti ridet copia.
29. Non est mercatum simile
Sicut de bovis tergo,
Exemplum de me paupere
Si vis tenere, suscipe.
30. Post haec ministri publico
Conveniunt in trivio:
Villae major, praepositus,
Templi sacerdos inclitus.
31. Oeconomus attonitus
Suis refert comitibus
Famam novi commercii,
Unius quaestum corii.
32. Tunc gavisus praepositus
Factus tantis rumoribus
Profunda dat suspiria.
Cum pompa dicens talia:
33. 'Vobis dicam miraculum,
Revelabo prodigium,
Aperiam consilium
Celandum saluberrimum.
34. Si vultis esse divites,
Si fortunati, comites,
Quae sum facturus facile
Sequenda nunc perpendite.
35. A nostris tabernaculis
Omnis fortuna sterilis
Discedet per commercium
Commerciorum maximum.
36. Est mercandi felicitas,
Quam transmisit divinitas,